



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

6. Ventorum Symbola.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

VI. (f) Varia ducuntur à ventis Symbola ; exempli gratiâ , fingitur emblemata *Venti* , totam silvam , minores , majorésque arbores impellentis. Lemma : *Omnes hac tangimur aurâ*. Leniter aspirat favor , honoris cupidis , & ultrò inflectit ad obsequia , quando suaviolem audiunt susurrum. 2. Ventus inclusus sub terra , eâ perruptâ emergit in altum. Lemma : *Fit via vi*. In eos conveit ; qui per vim grassantur ad id ; quòd concupiscunt , etsi vertendâ sint cum montibus urbes. 3. Ventus impellit flammam ab æde incensa ad vicinas domos. Lemma. *Incendia nutrit*. Unius ambitio hominis quàm latè grassatur bellorum incendiis ! 4. Ventus turres evertit , & arborum majores : opprimit minores. Lemma : *Magna rapit , minora obruit*. Ambitio pares non fert : Minores proculcat ; Majores sternit. 5. Ventus nimius extinguit , moderatus alit ignem in facibus. Lemma. *Omne nimium obruit*. Intra mediocritatem te contine.

VII. (g) Atque hæc de Æolo bucculento , & discordibus eius filiis. Æoli nomine possis illos afficere , qui buccis tumentibus vorant , & malas , vel ut tympana , superingestis avidè cibis distendunt. Et illos , qui saburrati abdomine , animam habent pro sale , pendent palearia colli , aqualiculus ut promontorium prominet , caput Phæbeæ lampadis instar in orbem protuberat , os & nares auram , ut bubali reciprocant. Et illos , qui mendaciis assueti , nihil nisi fumum & ventum exhalant , aut , quod in proverbii est , *ventos pascunt*. Vide plura Symbolo 66. in Ethica n. 3. Daniel Bartolus in Geographia Politico-morali , cap. 1. Æoli antrum comparat Spei Aulicorum , quos cernas intumescere , fremere , circumvolare inquietos , turbidos , violentos , inter se depræliantes flamine occultarum calumniarum , aut turbinibus apertarum inimicitiarum , tanto cum furore & fremitu , ut Æoli poëtica spelunca nec tertiam vesania huius partem figmento suo æquârit. Quæ tempestates & concussiones æmulorum , cum in sublime evolant ii , qui in fundo jacuerant ; & in præceps eunt , qui in apice steterant ! Quoties vidit Roma histrionem quempiam , citharædum , libertum uno die ad tantos honores pervenisse , quantas eodem Patri eius aliquis , Senator , aut Consularis amiserat ; hereditatem nempe , à pluribus retro sæculis majorum industriâ congestam. Quid dicam ? quòd Aulicorum vota & spes alia quoque ratione ventis sunt persimiles , quòd naturâ suâ pendere , nasci , & consistere soleant in aëre , spirare , & panè vivere ex aëre. Ut aded nulla reperiaturs Aula , in quam non quadret nomen illud : *Domus Ventorum* , Hæc ille.

SYM

(f) Symbola à ventis desumpta. (g) Quinam sint Æoli,